



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Septimadecima, habita Lutetiae de eadem re. III. Idus Augusti, 1566.
praesentibus regina Scotorum & Venetorum legatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

PETRI IOANNIS
PERPINIANI.

De retinenda veteri religione & falsa recentium hereticorum doctrina reiicienda, ad Parisienses.

O R A T I O XVII.

MIRARI credo plerofq; vestrum, Parisienses, me qui professus initio fuerim, de veteri religione retinenda verba facturum, cum tot iam dies effluerint toties vos conuereritis, toties ipse perorarim, nullum adhuc religionis nostrae caput, ne leuiter quidem attigisse: nam qui religionem unam alteri proponendam esse contenderet eius illae videbantur esse partes, vtriusque inter se capita diligenter & accurate comparare, quo facilius ex contentione, quid vtilissimum esset, intelligeretur. Explicanda erat maculae ortu contractae ratio, aperienda voluntatis nostrae vis ad bene beatique viuendum, aut secus gratiae diuinae demonstranda necessitas; declarandus iustitiae nostrae modus; quantum in fide, quantum in recte factis momenti sit, exponendum mysteriorum numerus, ordo, natura, usus illustrandus: de
Deo;

Deo, de Christo, de Ecclesia, diuinis de libris, de sanctissima Dei matre, de omnibus, qui cum liberatore nostro iam regnāt, contra malè his de rebus sentientes paulò subtiliùs disputandum; vt vbi cognitum esset nostra contrariis esse veriora, tū demum à vobis iure contenderemus, vt disciplinam ab Apostolis nobis per manus traditam firmissimis animis retineretis: inæpta falsorū magistrorum cōmenta solitā sententiæ grauitate repudiaretis: quorum nihil cum ipse fecerim, non immeritò mirari ac quærere vos arbitror, Parisienses; quæ sit meæ rationis regio ac via: sed ea indicata paucis, vnà & mirari desinetis, & consilium nullum fuisse iudicabitis anreferendum meo. Ego enim singularum rerum, de quibus exorta dissensio est, pleniorē explicationem cernens longiorē esse, quàm vt queat paucis non orationibus dico, sed voluminibus cōprehendi, statui propria cuiusque generis argumenta mihi esse prætereunda, cum in his tractandis præsertim quamplurimi doctissimique homines & elaborarint iam, & elaborent; illa colligenda tantum in hac adhortatione mea, quæ communia sūt omnium de religione quæstionum magnamque vim habere possunt ad multorū animos excitandos. Itaque quàm planissimè verissimèque

méque potui, quibus ex caussis orta sit ista
 vanitas; quos ipsa ex se fructus extulerit?
 quid ipsi eius auctores de origine senserint
 ostendi; vt quam ab hoste immanissimo na-
 tam esse perspeximus, tanto maiori ab eo
 studio caueamus, quāto grauius illius odiū
 in nos, & insaturabiliorem scimus esse cru-
 delitatem. Quanquam ex his ipsis multa
 mihi necessario prætermittenda fuerunt ne
 infinitior esset oratio mea: quæ cuiusmodi
 sint, partim ex iis, quæ dixi, coniectura fa-
 cilè consequi, partim ex defensione Geor-
 gij V Vicelij cognoscere potestis, qui dum
 reprehensoribus suis rationem redderet cur
 ad Ecclesiæ Romanæ societatem & com-
 munionem reuertisset, luculenta oratione
 retexit, quos isti simulationis propemodum
 innumerabilibus inuolucris atque integu-
 mentis, diligenter occultant recentis Euan-
 gelij ac disciplinæ fructus. Venio nunc ad
 ea quæ pro se dicere solent ij, qui per illam
 eandem fistulam diuinum spiritū hauserūt,
 per quam è cœlo se substātiā corporis: &
 sanguinis Christi sine corpore & sanguine,
 non secus atque succum aliquem expressum
 exsorbere gloriantur: nam & ea, quibus
 nos vsq̄ sumus, refellere conantur, & multa
 afferunt, quibus imperitæ multitudini per-
 suadeant: suam à Deo bonorum omnium
 paren

parente, nostram ab improbissimo hominum inimico profectam esse doctrinam. Non est hoc nouum, neque inusitatum, Parisienses; meminisse debetis, nullam vnquam nec philosophorum, nec hæreticorum tam absurdam fuisse disciplinam, cuius amatores, qui pro se quid contra dissentientes dicerent, non haberent: quocirca non an aliquid aduersarij nostri respondeant, sed quale id sit quod afferant, vobis videndum est. Vt enim nihil est tam falsum, cui non aliquis illini possit veritatis color; sic fieri nullo pacto potest, vt facta & commentitia quæ sint, comprobentur veris. Et Calvinus quidem quæcunque pro fabulis suis contra veritatem callidè ac veteratoriè dici potuerunt, omnia Francisco Valesio Christianissimo Francorum regi tanta cura perscripsit, nihil vt eius admiratores fieri, aut cogitari posse dicant magis ex omni parte absolutum atque perfectum: ad ea sigillatim aliquando me responsurum, esse confido, & ita responsurum, vt cum omnes perspexerint, in illa tam elaborata præfatione infinita esse, aut mahtiosis deprauata mendaciis aut arcessitis obscurata verbis, aut artificiosâ dissimulatione recta, aut obruta publico vitiorum odio, & infamia, non refutata religio,

ligionem eam, cuius omnes numeros illam aiunt continere, manifestæ fraudis ac perniciosæ fallaciæ plenam esse cogantur confiteri: hæc igitur ad illud tempus integra mihi reseruabo, quæ verò omnium in ore versantur, quæ iactantur vulgi sermonibus, quæ nobis in cõuiuiis ab ebris, in circulis à prestigiatoribus, in viis militaribus à cuculis, in fluminibus à ranis, in tabernis diuersoriis à ganeonibus, vel respondentur, vel obiciuntur, ea quam vim habeât, breuiter considerandum est. Prædicant consentionem omnium qui se Euâgelicos, quàm Christianos appellari maluerunt negant vllum à se bellum exortum; modò paucitate, modò multitudine gloriantur sua: iactant nescio quæ martyria suorum, speciẽ ostentât integerrimæ sanctissimæque vitæ: scripta diuina contra nos à se stare vociferantur. Vos intendite, quæso, cogitationes vestras, Parisienses, & vt corporibus præsentem estis, sic animis etiam & mentibus adeste, solitoque silentio & humanitate accipite quæ dicam: polliceor vobis futurum, vt intelligant, quicumque non repugnabunt obstinata voluntate contra veritatem, quid sit pro somniis ægri capitis inania verba fundere, quid sanorum hominum sententiæ solida, & gravitatis plena oratione tueri. Est illa planè firma

ma

ma coniectura , qua sum alio die vsus ex
 varietate & pugna doctorum delirantium
 petita, nullum iudicium vestigiumque cla-
 rius reperiri potest non à Deo , sed ab ad-
 uersario Dei , & nostro disciplinam istam
 inuentam : quam quod eam quicumque se-
 quuntur, omne concordia sublata , inter se
 digladiantur. Nam si respicere volumus ani-
 mo spatium præteriti temporis , ac prima
 Ecclesiæ initia progressusque recordari , re-
 periemus doctrinam verè diuinam atque
 cœlestem semper sui similem omnibusque
 membris aptam, & consentientem ad po-
 steros manasse, diuidi in contrarias partes ,
 pugnantisque sententias amplecti , pro-
 prium hoc perpetuò fuisse eorum errorum,
 quos inter veras, & nobis à Deo patefactas
 sententias , tanquam lolium inter bonas
 fruges inimicus ille noster disseminauit.
 Nolo quidquam addere de meo. vtar lie-
 næi clarissimi scriptoris non quidem ver-
 bis, quæ sunt ab interprete magna ex parte
 deprauata, sed sensibus , qui in illa caligine
 corrupti sermonis velut stellæ inter obscu-
 ræ noctis tenebras elucet, Ecclesiam ille
 lōgè latèque diffusam per omnes terrarum
 oras , asserit vnā , eandemque fidem ab
 Apostolis acceptam perinde custodire , ac
 si non modò mœnibus, verum parietibus e-
 tiam

Lib. I. cap.
 2. 3. & 4.

tiam iisdem vniuersa contineretur : eadem omnes non secus credere, quàm si vnus animus, vna mens tam multis in corporibus esset diuinitus inclusa: eadē prædicare omnes proinde quasi vno ore loquerentur, dissimiles quidem esse diuersarum gentium voces, atque linguas, verùm successionis vim vnā, & eandem apud omnes esse non aliter aut credere, aut tradere, neque quæ in Germania, neque quæ apud Iberos neq; quæ in Celtis, neque quæ ad Orientem Solem, neq; quæ in Ægypto, neque quæ in Africa, neq; quæ in orbe medio sint Ecclesiæ cõstitutæ: vti Solvnus omnes mûdi partes clarissima luce collustrat, sic idē fidei diuinæ, veritatisq; lumē omnibus vbicumque terrarum sint, gentibus lucere: & cum Ecclesiis præpositi partim dicēdo valeant, partim Eloquentiæ sint expertes, neque illorum copia loquendi fieri accessionem vllam neq; horum orationis ieiunitate diminutionem. Eorum autem qui Simonem Magum securi ducem ab Ecclesiæ communitate recesserant, pugnantia decreta multis verbis persequitur, & ex eo, quod nihil inter eos conueniret, affirmat posse cognosci & Ecclesiæ solidam firmamque veritatem, & ipsorum commentitiam falsamque doctrinam. Neque verò antiquissimæ solùm hæreses, quibus finem

Iren. lib. 1.
2 cap. 2.
maximè.
53. & dein
ceps, & in
præfat.
lib. 2.

attu

attulit imperium Constantini, multum disiunctas & repugnantes sententias habuerunt. Omnes, quæ vel iam exortæ post Constantinum aliquandiu viguerunt, vel Constantino regnate, aut postea existentes, ad ingentem magnitudinem peruenerunt, in factiones aduersas diuisæ non minus à se inuicem, quàm ab Ecclesia vniuersa discrepant. Nihil dicam de aliis, ne incerto exitu infinitè feratur oratio mea; notissimæ illæ sectæ Nouatianorum, Donatistarum, Arianorum, Macedonianorum, Eunomianorum intra paucos annos quàm diuersa fuerunt in capita distractæ? nonne Sabbatius ex Iudæo factus Christianus, excitatâ de tempore Pascharis contentione partis Nouatianorum, quam à ceteris abstraxerat, Episcopus fuit? nonne alia multa dissidia eiusdem sectæ ab eodem certamine orta sunt, cum alij ab aliis non de mense modò, verum de diebus etiam, ac nonnullis aliis tenuibus in rebus dissentirent? Iam Maximilianus Diaconus Donatista dum Parmenianum Episcopum suarum partium Carthaginensem, à quo damnatus erat, accusaret, vónne factionem nouâ conflauit Maximianistarum non minus Donatistis, quàm orthodoxis inimicam? ab Arianis verò & Pflatyriani non ita Marino duce discesserunt, vt separatim

Lib. i. c. 5.
& seq.

Lib. i. c. i.
extremo.

Socra. hi.

Eccf. li. i.
cap. 21.

Idem. cap.
22. extr.

August. de
gestu cum
Emerito
non lon-
gè ab ext.

a Socra. c.
23. Theo.

in com-
pensat.

hæz. li. 4.

Socra. ibi.

Or. p.

QQ

Th. ibid
 t. li.
 cap. 24.
 dem.
 Lib. 3.
 cap. 10.

conuentus agerent, aliásque sibi domos Dei
 comprecandi caussa ædificarent: hos autem
 ipsos non Agrapius cum Marino dimicás in
 duas contrarias familias diduxit; non ab
 iisdem Ariani, & Cyrriani, & Iuliani existi-
 terunt; porro Macedonianos *b* non duo
 presbyteri Eutropius, & Carterius dinelle-
 runt: quid; Eunomio *c* Theophroniani, &
 Eunomientychiani non satis apertè decla-
 rant, Eunomij quondã impietatem. Theo-
 phronio, Eutychióque ducibus, in scholas
 contrarias esse discriptam; Verissime à So-
 crate Scholastico de veteri Ecclesia scriptũ
 illud est, diuisam illam in multas partes ad-
 uersas, in ea, quæ semel facta fuisset, diuisio-
 ne non constitisse, verũ cuiusque partis
 homines in se mutuò conuersos secessisse,
 naçtósque modicã ac leuem caussam, alios
 ab aliis fuisse seiunctos: quod idem in no-
 stram Ecclesiã tempore posteriorẽ, fide non
 modò parem, sed etiam eandem, mihi vide-
 tur egreg è conuenire. Quæ enim tempora
 malorũ eorum, qui ab Ecclesia defecissent,
 inconstantia viderunt? quo seculo tot opi-
 niones diuinis de rebus tam discrepantes
 exstiterunt: quãdo tot dimicationes, & tam
 arripites orbis terrarum adspexit, quot nũc
 Apium, Pyrenæorũque iugis, & Oceani
 fluctibus videmus inclusas; Primus ab Ec-
 clesia

clesia sec
 gra diu n
 pore illa
 pristis pr
 Occolan
 singula c
 rentione
 pentè pr
 mentum
 recentia
 antiqua
 veræ di
 apra atc
 nientia
 sentio c
 magis,
 cerne re
 tiones;
 concess
 repugn
 consti
 intelli
 quid n
 inter
 stiman
 gnam
 robor
 fueru
 Gebe

ctlesia secessionem Lutherus fecit: num integra diu mansit illa pars, quam à toto corpore illa furia abrupit? mox ab eo, vt Anabaptistas prætereâ, Carolostadius, Zuinglius, Oecolampadus, alijque multi dissenserunt: singula deinde hydræ pestiferæ capita contentione ipsa innumerabilia quædam repente profuderunt; certissimum hoc argumentum est, Parisienses, deliramenta ista recentia non aliunde ortû habuisse, quàm antiqua: cum Ecclesia, quæ vna schola est veræ diuinæq; doctrinæ omnibus partibus apta atque connexa, mirificè habeat convenientia vltima mediis, media primis. Verû sentio quid meditentur ac parèt, qui multo magis, quàm vino veteri delectantur, animo cernere mihi videor tacitas eorum cogitationes; timeo ne quem suo more fallant. Si concesserint, quæ sunt à nobis obiecta, de repugnantia disciplinarû, quæ sunt ab ipsis constitutæ, se captos esse vident. nusquam intelligunt elabi posse. Quid igitur cogitât? quid moliantur; dissensionē vllâ, inquiunt, inter nos esse inficiemur, omnes idem existimare, idem loqui prædicemus. O magnam peccandi illecebram, audaciam corroboratam impunitate diuturnâ! Non defuerunt, & quidem ex illis magistris, qui Gebennæ, sicut in monte Parnasso somnia-

612 *De retinenda veteri religione,*
runt, & lacus vicini, quāsi Hippocrenes a-
quam obbiberunt, ex illis inquam, è cœlo
inter Alpium angustias deuolutis doctori-
bus non defuerunt Lugduni, qui vacillanti
adolescenti, quò facilius eū suis verbis im-
pellerent, hoc affirmare nō vererētur; mihi
īpsi eorum vnus idem aliquando respondit
qui tamen statim vt ei controuersias de Eu-
charistia opposui, de hoc tantūm capite nō-
nihil esse contentionis fassus est, neque il-
lud tantūm volui omittere, quamuis aliis
de rebus, non paucis modò eas iudicare li-
buisset, cogi potuisset eādē ratione con-
fiteri. Sed quid miramur ore durissimo esse
discipulos, quorum doctorem non puduerit
edito libro testificari falsò, inter Augustanæ
confessionis homines, & Tigurinos nullum
esse discrimen? quæ si vera sunt abundabat
otio Lutherus, qui contra Carolo stadium
toties incredibili acerbitate declamarit, tot
scriptis libris cum Zuinglio, Sacramenta-
riisque omnibus decertarit: furebat planè;
qui tam frequenter principes, & magistratus
inflammare niteretur ad eos, qui cum ipso
facerent, pro imperio ac potestate coërcen-
dos: insaniebat Ioachimus Vvestphalus,
bacchabatur Tymanus pastor Bremēsis, qui
tam multa scripserint, cur Sacramentarios,
& Anabaptistas hereticorum in loco haberi
neque

neque tam stylo, quàm securi refutari oporteret; præcipientes amentiam feruntur omnes Lutherani, qui à suis eos cœtibus excludunt, odiisque maioribus persequuntur quàm studiosos Pont. Maximi defensores. Calvinus ipse, si quidem omnibus sensibus congruebat, operam & oleum perdidit, qui libellum composuerit, quo nihil interesse persuaderet: an hoc satis argumenti non est magnam opinionem fuisse, plurimum interesse? quæ verane sit an falsa, illi viderint qui eam inseruerunt, certè sic in animis hominum insedit, nullis vt Caluini machinis ac viribus potuerit conuelli. Beza verò postquam ad Othonem Henricum comitem Palatinum Lutheranum in Germaniam accessit, quòd suam confessionem ad Lutheranorum de mysterio mentem cõformasset, eandemque Tigurinorum esse dixisset, ementitæ fidei reus; cur illam defensione vsus non est, quæ & grauissima, & facillima videtur, eadem esse proisus omnium fidem? cur lubricam aliam & periculosam sui defendendi rationem induxit probabilem, interdum esse dolum atque laudabilem & pulchrum in primis honestumque censendum aliud simulare, cum aliud agas? quare veniam eius delicti non prius impetrauit, quàm se peccasse confiteretur? Nunc à Belgis, vbi nuper

erupit hoc malum, qui nuntij quotidie ad nos afferuntur? tanta inter Evangelicos dicitur esse concordia, prius ut eorum sanguine patria redudatura videatur, quam arma ipsis à communibus aduersariis inferantur. Re tineant isti sanè mores, & ingenium suum: loquantur suo illo veteri instituto, non quòd, verum est, sed quod libet, res ipsa clamat, longius alios ab aliis distare quam à terra cœlum. At ut disciplinarum inter ipsas varietas negari non potest, ita omnium, qui in eadè sunt hæresi, permagna similitudo est. O similitudinè incredibilem, Parisienses! neminè vnum ab aliis generis eiusdè facile secernas, nisi quòd Sacramentorum modò septem, modò octo, modò decem factiones enumerat Lutherus: nisi quòd Petrum Martyrem, & Bezam in conuentu Posiaco; vniuersa Gallia paucos abhinc annos ita discrepantes vidit, ut cum ad Lutheranos Beza propius accederet, Tigurinos aliter pertinaciter defenderet, duas contrarias fidei cõfessiones ederèt de Domini cœna: nisi quòd è Gebènensi ludo scimus existè lanistas, qui contra sanctissimæ Trinitatis fidem in Polonia depugnarent, proximòq; vere Lugdunenses ministros velut foetas galinas tumultuari conspeximus; ne sibi duo milui ab eodè orti nido pullos auferret: nisi quòd

In li. quod
ista verba
Christi ad
huc stant,
Hoc est
corpus
meum.

In breui
confess. de
Euch. Sa-
crament.
In li. eor.
Zuing. &
alios.

quòd Osiàder Lutheranorū sententias valde dissimiles ad viginti numerat, quibus ipse vigesimam primā adiungit, videlicet suā ab omnibus aliis longè diuersam: nisi quòd Osiàdri disciplinam Pomeranus, Forsterus, & alij falsam iudicarunt, quā Brentius cum suis discipulis comprobauit, nisi quòd non genera modò generibus aduersantur, non singuli solùm aliis eiusdem generis litem intendunt (si tamen eiusdem generis putandi sunt, qui non sentiunt idem) verùm etiā à se quisque discrepat, & secum ipse bellum gerit. An verò Parisienses, vos soli nihil his de rebus audistis? vos nunquam eorum libros attigistis, aut qui nouas fabellas literis mandarunt, aut qui studio publicæ salutis eas contrariis scriptis confutarunt? vestri perigrinantur animi, neque didicistis quæ nō in legitimis tātūm cœtibus, verùm in omnibus etiam angulis hominū sermone celebrātur, quāta sit cuiusque ex isto numero varietas, inconstantia, leuitas, quàm crebræ ac repentinæ sententiarum commutationes; Exhibe, quæso, Martine, exhibe volumen operū tuorum, quibus Euāgelium iam diu sepultum, excitatum à te & restitutum esse gloriaris de communione duntaxat sub vtraque specie locòs XXXVI. repugnantes indicabo, quos Gaspar Quer-

hametus à se notatos collegit: exhibe Philippe hypotyposeis illas tuas, à te non semel editas, & emendatas; exhibe confessionem à te compositam, & sæpius interpolatam; exhibe communes locos, & cõmentarios in epistolâ Pauli ad Romanos, nõ vno à te modò diuersis temporibus correctos, & immutatos, in prioribus hypotyposeon libris testatũ inueniemus, nihil referre, vtrũ sub vtraque, an sub altera tantũ symboli parte diuina mysteria percipiuntur, ex posterioribus hanc sententiam reperiemus à te fuisse sublatam in confessione, quam anno XXX. emisisti, panis & vini in corpus & sanguinem Christi mutationem aperte posuisti, proximis annis eam sustulisti; tandem anno X L. diserrissimis verbis oppugnasti, panem & vinum, vnà cum corpore & sanguine remanere confirmans. In eadem confessione, in locis communibus, in commentariis ab anno XXXV I. voluntatem nostram, in caussa liberali copiosissimè defendisti, quam antea iuuenili temeritate & arrogantia, conatus eras asserere in seruitutem. Exhibe, Caluine, exhibe, Theodore quæ contra nos, quæ contra Lutheranos, quæ ad sacros libros explanandos conscripsisti: multa de cœna mystica inter se contraria vobis ostendam, quæ vir ingenio doctri

doctrinâque, præstanti Claudius Sanctius
 collata in vnum aptè digessit; vt vno quasi
 adspectu, vniuersa liceat intueri. Tu Calui-
 ne omnibus non Apostolis modo, verùm
 etiam posteris à Christo præceptum esse
 tradis, vt ex calice bibant: idem mysterio-
 rum administrationē aliis, quam a postolis
 & eorum successoribus negas esse permis-
 sam, eundemque diuini magistri sermonem
 modò dilatas, vt comprehendat multitudi-
 nem infinitam modò contrahis, ac perexi-
 guo duodecim hominū & successorum nu-
 mero concludis; tu certò quemque statuere
 non solùm posse ais, sed etiam iubes, Deum
 sibi esse propitiū, & placatum per fidē, idem
 falli sæpe homines affirmat; vt verā fidem,
 quā careant, habere se credant, tu hos la-
 queos dum effugere vis, incidis in illas ma-
 iores plagas, vt fiduciam illam tuam, quam
 certam cognitionem esse vis, in solis ele-
 ctis vigere dicas, electos autem à reproba-
 tis discernere vnus Dei munus esse fatea-
 ris; tu fidem ad verba Dei quodam modo
 affectam esse contendis, & hæc inter se duo
 conferri, idem in misericordiam tantum di-
 cis intueri fidem nostram, atque in promif-
 siones Dei, non imminas & terrores, quæ
 nihilo certè minus, quàm illa, sunt verbi
 diuini partes, tu inficiaris opus esse ipsam

4. Inst. 17.

sect. 47.

48. 49. &

50. 4. Inst.

3. sect. 6.

10.

3. Inst. ient.

sect. 7. 10.

3. Inst. 5.

sect. 7. &

4. Inst.

sect. 3.

In præfat.
Instit. ad
regē Gall.
& 4. libr.
sect. 3.

4. Instit. 1.
sect. 4.

Matth. 10.

Ecclesiam oculis cerni, manibusve tractari,
eò quòd in fide sita, sit clamas nihilominus
esse cogitandum, dum intelligentiam no-
stram fugit, quàm si palàm appareret, neque
deteriorem esse fidem, quod incognitam
apprehendat idem paucis versibus interpo-
sitis, Ecclesiæ adspectabilis & manifestæ
cognitionem omninò necessariã esse, mul-
tis ostendis, alium vt ad vitam introitum
nullum esse asseras, & extra gremium eius
vllam salutem sperandam neges: alia tua
decreta prætereo: hæc sola sunt satis: quæ
quantò sunt accuratiùs à te scripta, tantò
nobis apertius declarant, quantus mentem
tuam stupor oppressisset, cum studio tanto,
& industriã pugnantiã planè loquerere. De
te verò, Theodore, hoc vnum dicam, quod
ex ore Christi exisse negari non potest non
esse discipulum suo magistro superiorem: si
suum quisque doctorem adæquet, eo debe-
re esse contentum: ex quo perspicuum est,
quanta sit cõuenientia. & consensio doctri-
næ tuæ, cum decreta magistri sint inter se
tam aduersa atque cõtraria. Eant isti nunc,
& mirificam omnium conspirationè atque
cõcentum, speciosis verbis imperitis osten-
tant, cum singuli turpissimè à se ipsi dissi-
deant? & quod probauerant, quod decreue-
rant, quod tamquam arbitri diuinitus dati
iudica

iudicarent postea rescindant; nisi eum fortè
consensum doctrinarū suarum, quem mun-
di partium esse dicunt, ut etiam si cōtraria
sentiant, loquantur, scribant, vno tamen
omnes Ecclesiæ Romanæ nocendi studio
inter se constricti teneantur: item ut in
hoc rerum ornatu quatuor naturæ inter
se aduersæ, communi quodam velut occul-
ti fœderis, & societatis vinculo continen-
tūr, nam ego neque cœlum vnquam magis
varium, neque fretum, vel Euripum magis
incertum, neque ventum istorum animis
mutabiliorem aliquando cognoui. Quo-
ties id, quod ab Hilario scriptum est de
Arianis, aut lego, aut cogito nostrorum
templorum repentinas commutationes, &
Euangelij nunc demum inuenti varias qua-
si fluctuum agitationes, & recentium dis-
ciplinarum perturbationes atque æstus,
toties mihi videor videre. (*Scribenda, in-
quit, atque innouanda fidei exinde usus ino-
leuit.*) Quid aliud scripsisset, si tot partim
à diuersis hominibus, partim ab iisdem,
diuersis temporibus editas fidei confessio-
nes vidisset? Pergit ætatis suæ conqueri, ac
deplorare calamitatem. (*Qui postquam, in-
quit, non potius cœpit condere, quàm acceptare re-
tinere, nec vetera defendit, nec innouata fir-
mavit.*) ☉ diuinam excellentis viri senten-
tiam,

tiam, præsentia cernentis, futura præsentientis mala, quàm enim superbè, quæ à maioribus acceperant, isti reiecerunt, quàm multa condiderunt noua? quàm frequenter veteribus derelictis, quæ excogitauerant, ipsi commutarunt? vnde illud etiam euenit, quod idem subiunxit: (*Et facta est fides temporum potius, quàm Euangeliorum, dum & secundum annos scribitur, & secundum confessionem baptismi non tenetur.*) Confessionem Augustanam non aliàs aliter scriptam legimus? non cæteri quoque suas confessiones mutatis temporibus immutarunt? Quòd autem de baptismi confessione spreta queritur, id etiam si proprium Arianorum videatur esse, qui de Trinitate, cuius nòmine abluimur, ab Ecclesia dissidebant, non est tamen à veteratoribus istis alienum, qui maiorum fidem, in quam duo abluerentur, per sponsores suos iurauerant, neglexerunt. ac ne quis leue hoc malum existimet, accipite quid apud eundem scriptorem consequatur. *Periculosum, inquit, nobis admodum, atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas esse, quot mores, & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt, dum autem ita fides scribitur ut volumus aut ita ut volumus intelliguntur.*) O grauè populi Christiana-

ni calamitatem! ô labem & perniciem Ecclesie sine intermissione deplorandam! Placuit aliud Martino, arrisus aliud Philippo, voluit aliud Brétius, aliud sensit Suenckfeldius, probauit aliud Bucerus aliud Zuinglio venit in mentem, maluit aliud Caluinus, alius aliud quodam mentis errore letargico somniauit; ergo quot hominũ sententia, quot voluntates, quot errores, tot fidei confessiones dissimiles habemus, cum suam in quisque proclamer integrã & sinceram Christi esse doctrinam. Quid iam restat? quid? nisi vt ad extremum illud malum deueniamus, quod idem scriptor adiũxit? (*Et cum secundum unum Deum, inquit, & unum Dominum & unum baptisma, etiam fides vna sit, excedimus ab ea fide, qua sola est, & dum plures sunt, ad id coeperunt esse, ne vlla sit.*) Vtinam fecisset Deus Opt. max. ne magna ex parte fide vacuos illos videremus, qui sibi fideiũ nomẽ arrogarũt! Sed vt idem ille subiecit. (*Conscij nobis inuicem sumus.*) non iam, (*post Nicani conuentus Synodum.*) vt apud ipsum est, sed post Martini Lutheri ab Ecclesia defectionem. (*nihil aliud, quã fidem scribit.*) Et quamnam est utilitas consecuta? non auderem ipse dicere, nisi prior ille dixisset. *Dum de verbis, inquit, pugna est, dum de nouitatibus quaestio est; dum de*

de ambiguis occasio est, dum de auctoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema cœpit esse, propè iam nemo Christi est. Quid ita? non omnes à Christo duce & magistro Christiani nominantur? non omnes eius milites, & discipulos nos esse profiteamur? nō omnes eius amplectimur instituta? Respondeat ille qui cœpit (*Incerto, inquit, doctrinarum vento vagamur, & aut dum docemus, perturbamus, aut dum docemus erramus.*) hanc ego perturbationem fidei Christianæ, hanc inter se Pugnantium religionum confusionem tantam, quanta haud scio, an superioribus seculis aliquando fuerit, adscribam Deo? quæso, tribuatis iusto dolori veniam, Parisienses, si liberius vobis, quam religioni meæ consentaneum est, hoc vociferari & conqueri videbor. Deum illum, cui rerum omnium tribuo principatum, quem animo suppliciter veneror & colo, Deum esse inficiarer, si hanc tam effrenatam libidinem contradicendi, ab eo immissam esse arbitrarer, & qui tantis tenebris hominum vitam inuoluisset, ei nullum à nobis officium, nullum cultum existimarem esse tribuendum. Fingite enim animis, cœpisse me ut istorum more loquar. Papatus pudere ac tædere: tamen si liber **tex** e quidem agnosco pontificiam

ficiam dignitatem : Ecclesiæ Romanæ fi-
 dem tota voluntate complector corruptos
 tantum nonnullorum hominum detestor
 mores, sed ut dixi, fingite cogitatione, quam
 Plato scripsit, veluti mollissimam ceram ad
 arbitrium nostrum formari ac fingi, me no-
 stræ disciplinæ vehementer pœnitere, nihil
 in ea putare esse integrum, Euangelium
 quærere primum & incorruptum, re in tanta
 multitudinè opinionum & varietate, in
 tanta partium discrepantia, quid me potis-
 simum sequi oportebit? apud se quisque sin-
 cerum Euangelium esse profitetur, apud
 alios negat: suam quisque doctrinam ver-
 bum Dei affirmat esse, aliorum quoddam
 tantum simulachrum verbi Dei scripta diui-
 na ad se quisque trahit. Calvinianus pro-
 certo habet, esse sibi Deum Christi sangui-
 ne placatum, idem cæteri sibi quisque explo-
 ratum esse dictitant, cum alij alios con-
 demnent falsitatis. Ego verò tam ancipi-
 tem deliberationem Herculeam illa multis
 partibus esse difficiliorem puto: si quidem
 Herculi, ut apud Xenophontem est duæ
 res tantum proponebantur, vitiumne mal-
 let, an virtutem sequi ducem, mihi amplius
 XXX. sectæ proponuntur, quas vel memo-
 riâ sequire laboriosissimum est, ne dum quæ-
 verissima sit atque optima disceptare. de-
 cernant.

πολιτ. θ.

ὁ πορευόμενος
νευρε β.

cernant ipsi primùm, quæ sit Euangelio maximè consentanea ratio & via, constituent vnam aliquam simplicem, ac similem sui disciplinam, vbi discordia sublata, eadem erit omnium mens, & oratio, tum demum aliquis erit fortasse deliberandi locus, nuncdam secum acriùs ipsi dimicant, quam nobiscum; dum omnia miscent clamoribus, dum scriptis contrariis complent librarias tabernas, admirabilem nos veritatis concētum discrepantibus mendaciis præferre patiantur. Atque hæc dicta sint de concordia prædicata vulgò circulatorum: nam vereor, ne sim longior, quàm æquum est. Pauca quædam de bellis adiungam, quibus confectis, breui perorabo. Reficite, obsecro, vestros animos, Parisienses, & humanitatem illam veterem ad ea cognoscenda, quæ restant, eò studiosiùs reuouate, quo magis isti putant, hoc loco se de nobis omnibus triumphare. Motum enim vllum a se ortum esse, concilia sua spectare ad respub. perturbandas inficiantur, quod nos in grauissimis argumentis ponebamus, cum istarum præstigiæ inuentorem, principẽ tenebrarum esse probaremus. rectam se viam in cœlum hominibus indicare dicunt, Euāgelium è tenebris ad lucẽ reuocare: collapsam Ecclesiam restituere in antiquum dignitatis gradũ: nemini

vim afferre: verum Satanā Evangelio è tam diuturnis tenebris emergente quiescere non posse, quo maior conflatur inuidia nascenti veritati non absurdas eum opiniones modò per ministros suos in mentibus multorū inferere, sed frequentes etiam concitare armorum motus: interea se vndique telis petitiones esse neci destinatas: inexplebilem multorum crudelitatem corporibus animisque perferre: quasi verò nos Deum tantorum malorum machinatorem esse prædicemus; improbum demonem non siue diuino permisso omnium seditionum architectum esse non negamus, verum cum nō ille ipse per se bellum gesserit, sed per satellites suos dimicarit; nūquā in acie visus ipse fuerit armatus, sed homines ad arma capienda concitarit; non quærimus cuius instinctu & impulsu, sed quorum audacia & scelere fuerint vnicuique gentium editæ tantæ strages. Multa superiore oratione bella religionis causa gesta memoravi, multa silentio præterij. Quærite vnde nata sint omnia, ab aduersariis an à nostris? illos prouocasse nostros non nisi defendendi sui causa arma cepisse, intelligetis. Quis non audit, quæ coitio facta sit in Belgis? quis nō expectat animo suspenso, quò illa cōiuratio erūpat? quis nō existimat idem illi prouinciæ, quo cæteræ iā defunctæ

fint, periculum impendere? ea verò tela si
 quæratis, à quo texta sit, non alium quam
 inimicū generis humani nominabo; si quis
 vestrūm per quos homines percontetur, ne-
 mo credo, erit tam imperitus rerū, qui non
 respondeat, per insanos amatores religionis
 nouæ. An compulerint aliquando minis, &
 malo quemquam, non est necesse curiosiūs
 inuestigare: tabulas publicas vidi Lugduni,
 in quibus præscriptum erat, ciuem nescio
 quem atrocissimo illo tempore in vincla
 coniectum cum dimitteretur liber, promif-
 sisse, eamque promissionem suam iureiuran-
 do confirmasse, quodocūque iuberetur se
 ad defendendam religionem regis (nescio
 quem illi rege appellabant) sed ita scriptum
 erat se ad religionem regis tuendam quan-
 docūque iuberetur, arma sumpturū, verūm
 inuestigare nolo diligentius, illud dico Pa-
 risienses, cuius ego quacumque per Galliam
 iter feci, impressa vidi, & propè ad sempi-
 terni temporis memoriam fixa vestigia;
 ouiculas neci destinatas, vbi vbi posuerunt
 pedem, ea fecisse, quibus grauiora lupi feri
 & immanes numquam antea fecerunt, qua-
 rum rerum inuidiam si eōferam in verbum
 cuius nihil prorsus apud istos esse credam
 amens sim, non ego verbum Dei fuisse di-
 co, seminarium & causam tantæ cla-
 dis

dis, sed eorum temeritatem & audaciam, qui sua cōmenta, vt boni poëtæ verbis vtar (*velut agri somnia*) pro cœlesti doctrina veditāt imperitis rerū: nā etsi multas quōdam arte poeturbas infestissimus hostis excitauit, nec earū tamē principiū à bonis vnquā natum est, nec Apostoli aut eorum successores, quāuis essent vel ab idololatriis, vel ab hæreticis multa dictu graua perpessi quidquam aliquando simile fecerunt, at hominum hoc vitium, nō disciplinæ fuit. Audiui equidem ex homine ista imbuto prauitate cūm diceret illa nō rectè, neque ordine fuisse facta, neque minus Caluino displicuisse quàm nobis. Verūm quid si alii, nescio an doctrina militari quidem, certè disciplina non inferiores Caluino, vel approbarunt vel etiam iusserunt, non omnia enuntiāda, multa dissimulanda sunt. hominum peccata prætermittamus, quæ nihil officere doctrinæ debent apud sapientes viros, quid Caluinus ipse scriptum reliquerit attēdamus, & quidem in eo opere, quo summam religionis Christianæ diuinitus à se parauit esse comprehensam, multa ille verba facit quanta obseruantia & obedientia regibus, principibus, magistratibusque debeat. Verūm suspecta mihi est extrema hominis oratio, foramen illud, quod Lutherus per icono-

Hora. d
arte poet

4 Instit.
sect. 1. 2. &
deinc.

sect-3 r.

machos aperire sibi diabolum velle dixit, ad sanguinem fundendum, tantò mihi periculosius quantò rectius patefacere videtur: nam post illa præclara atque diuina quibus magnâ sperabat orationi suæ cõciliari posse auctoritatem, nullum nobis aliud, quàm parendi, & patiendi datum esse mandatum, addit ea, quibus, quæ fuerant exorsa, ac propè de extra retexatur, se de proximis tantum hominibus loqui, quosda esse populares magistratus, oppositos aduersus libidinem regum, in cõuitiis magnam esse triumphandi auctoritatem, scilicet, vt per hos in ordinem redigi posse principes ac reges, opinemur, si qui Calvinianis quisquiliis vehementius aduersentur: exaggerat ad extremum, quantoperè fugiendum sit, ne hominum imperia diuinis præponamus; quæ etsi genere ipso falsa non sunt, exempla tamen atque verba mihi magnam suspicionem mouent, eò longam illam disputationem pertinere: ne sibi quis contra Lutheri, vel Caluini decreta regibus obtemperadum arbitretur, quid enim attinebat, ex tanta copia illa potissimum exempla deligere? Danielem regi vt statuam auream coleret imperanti magna cum laude restitisse? contra decem Iudeorum tribus Ieroboamo, vitulos aureos à se confatos in Dei locum supponenti

nenti cum æterna ignominia nota paruisse?
 obscurissime est, Dathanem istum, & Abi-
 ronem id agere; vt reges nostros, ac princi-
 pes Nabuchodonosoris, & Ieroboami simi-
 liores putemus, quàm Mosis & Dauidis?
 Non liquet confirmari ab eo suorum auda-
 ciam aduersus eorū religiosissima & neces-
 saria edicta? quò spectat aulicorum, vt vir
 scilicet modestissimus appellat, adulatorum
 acerba reprehensio, quò negēt sese regum
 imperia recusaturos? non apparet adulate-
 res ab eo dici, qui contra voluntatem ipsius
 religionem principum nostrorum ample-
 ctuntur? quid necesse erat, illam consolatio-
 nem adhibere: *Obedire oportet Deo magis,*
quàm hominibus, perinde quasi regum opti-
 morum iussa sint cōtraria diuinis? non luce
 clarius est sua illum commenta diuina im-
 peria velle videri, quibus qui repugnet, cō-
 tinuò repugnet Deo? denique illa vox, tum
 iis, qui præsunt, debitam obedientiam præ-
 stari, dum quiduis perpeti quisque mauult,
 quàm à vera pietate deflectere, quid aliud
 significat, nisi hoc? impios esse omnes re-
 ges: solas Caluini fabullas veram esse pieta-
 tem: ab iis ne dilcedatur, quiduis esse su-
 stinendū mali: boni verò discipuli, vt illud
 Christi dictum: *Non est discipulus, supra ma-*
gistrum; ostenderent esse falsum, plus etiam

aliquantò quàm ille suscipiendum opinabatur, susceperunt; & quiduis non perpetuum modo, verùm faciendum etiam sibi esse putant, ne ab illa sententiæ obstinatione deducantur. Desinant igitur accusare Satanam, qui ei se satellites atque ministros ad perturbandum orbem terræ præbuerunt. doceant, si possunt, à nostris omnes tumultus ortos esse, non à suis; aut si à suis natos esse negare non queunt, etiã si velint, vnum proferant exemplum, quando Apostoli vel eorum successores ad obtinendam, aut tuendam libertatem religionis, regum, & magistratum imperia, quamuis iniqua contempserint? contra vim eorum arma ceperint? cædes passim fecerint? omnia ferro flammaque vastarint? me victum esse confitebor: si eiusmodi nihil inuenire possunt; si Calvinus ipse veritatis vi coactus dixit nullum nobis aliud, quàm parendi, & patiendi datum esse mandatum, agnoscant ipsi tandem aliquando errorem suum, & eam turbulentam seditiosamque doctrinam à Deo profectam non esse fateantur. Habetis ad id, quod de seditionibus aduersarij respondere solent, adderem etiam ad alia, si tempus pateretur: quæ ne sim nimius, ad alias orationes referuabo: quanquam eas ante Kal. Octob. habere non
potero

potero: nam & scholis nostris constituen-
dis non parum temporis tribuendum est;
& diuinorum librorum aliquis, quem
audire volentibus explanem, locis omni-
bus & sententiis instruendus. Sed spero
tamen aliquando me, licet longioribus in-
teruallis, quæ reliqua sunt explicaturum.
Vos Interea, Parisienses, quidquid isti
dicant, quantum is obstrepant & excla-
ment, eorum dissidia doctrinarumque di-
uortia, & quæ vidistis, quæque audistis
bella recordantes, illis quidem, qui erro-
rem suum amant; tanto maiorem tribui-
te misericordiam, quanto minus eam ip-
si exposcunt & efflagitant; neque cessetis
vnquam Deum clementissimum Patrem,
pro eorum salute deprecari: pestem au-
tem istam fugite, quæso, diligenter, ac
detestamini, quæ & diuinam Ecclesiæ
coniunctionem, omniumque rerum admi-
rabilem societatem miserabiliter dilacera-
rit, & cæde atque incendio funestari or-
bem terræ, quem enim malorum finem
putatis fore, nisi caueamus? quem exspe-
ctandum censeatis exitum tragiæ tam
luctuosæ, nisi repente Deus, tanquam ex
machina vim suam diuinumque nobis
numen ostendat? Graues ille quidem, &
acerbas à populo Christiano poenas ex-

petiuit, qui tot sectas contrarias vigere, tot hominum millia cædi passus est, sed vitæ nostræ turpitude & infamia grauiores in dies postulat & acerbiores: vix iam vlla dissensio maior, quam exorta est, videtur posse cogitari, non hic tamē consistet immodica repugnandi, & contradicendi libido, non hic consistet: aliæ totidem, aut etiam innumera- biles excogitabuntur disciplinæ, nisi quis effrenatæ licentiæ imponatur modus: omnes enim, qui ab Ecclesia desciverunt, sicut
 Libr. 1. ab Irenæo sapientissimè dictum est, volunt
 cap. 36. esse doctores: quod cum in societate assequi se non posse intelligant, in qua priorum discipulos eos videri necesse sit, ab ea quidem, quam antea secuti sunt, secta discedunt: aliam autem ex alia serentes disciplinam nouā docere insistunt: seq; principes, & inuentores eius, quam sibi ipsi adornarūt & instruxerunt, doctrinæ esse profitentur. nihil est discordia facundius, aut opprimatur necesse est, aut vt Africa, sic illa quotidie pariet aliquid noui: quò progressus fuerat annis superioribus Michael seuerus ab hoc studio immoderato resistendi? quò nūc partim in Gallia, partim in Polonia processerunt ij, quos alij Trinitarios, alij Deistas vocant? legi ipse Lugduni Gentilis medici libellum manuscriptū, qui cum Symbolum
 Atha

Athanasij refelleret, nos autem irridens Athanasianos nuncuparet, omnem Trinitatis fidem, quàm ne Sacramentarij quidem attigerunt, incredibili arrogantia, philosophicis argumentariunculis cōuellabat. Quid Cic. 1. de reliquum est, nisi vt aliquis Diagoras, aut Mat. deor Theodorus existat, qui vim diuinam penitus tollat? Utinam pauciores huius sententiæ amatores haberemus, multò sanè meliùs nobiscū ageretur, nunc metuo, Parisienses, non quidem ne Ecclesia deficiat, quod fieri nullo modò posse certè scio, sed ne à nobis repellentibus eius preces ad gentes antea ignoras, quæ proximis annis eam cupide amplecti cœperūt, intra exiguum spatium temporis trāsferatur, ac nobis qui iam errorum nocte delectamur, auferatur Euāgelij cœleste lumen, illis incipiat lucere qui tot secula in densissimis ignorantia tenebris cæci iacuerūt. Atrociniore calamitates, quàm acceptæ sunt per hosce annos, ne fingi quidem iam posse videntur, sed non hæc erunt extrema, non erunt moneo, prædico, antè denuncio, nisi constantissimis animis in fide maiorum persistētes, longè aliam instituerimus vitæ rationem, ea mala consequentur breui, vt omnia illa superiora tam horribilia, tam formidolosa optabilia putemus. Auertat à nobis Deus Opt. Max. hanc

pestem, & cuius beneficio singulari etiam nunc in vera fide, & Ecclesie communitate stamus, idem illam nobis det mentem, ut neque ab ea discedere, nouasque superstitiones unquam colere velimus neque retentam & conseruatam flagitiosae vitae sordibus inquinemus: quos autem error à veritate semitis diuersis abduxit, eos bonus ille pastor qui oues perditas inuestigatum venit, rursus collectos aggreget, & in vnum cogat, ut vno omnes ore, vno animo, vnâ sententia, beneficentiam ipsius erga nos dies, noctesque praedicemus, pariterque post mortem in caelum euocati perfruemur vitâ beatâ & æternâ.

P E T R I I O A N N I S
P E R P I N I A N I.

De diuina & humana Philosophia discenda, ad Parisienses.

O R A T I O X V I I I.

QUOD Atheniensium instituto, quodam in Areopago voce praconis denuntiabatur oratoribus, ut sine proœmiis & epilogis causas perorarēt, idem mihi nunc tacito quodam praconio res ipsa videtur propemodum imperare, Parisienses. Nam siue naturam
causae